

No. 19. 1262. 8. Febr.

B. Heinrich von Merseburg, Probst Hertwig und das Capitel zu S. Thomas geloben, dass der Gottesdienst in der in dem Hofe der Gertrudis Wittwe des freien Herrn Ulrich von Vrudebere zu Leipzig gelegenen und von ihr ausgestatteten Mariencapelle in der angeordneten Weise abgehalten werden solle.

In nomine domini amen. Permissione divina Heinricus Merseburgensis episcopus, Hertwicus praepositus, Theodericus prior totumque collegium sancti Thomae apostoli Lipzenses universis Christi fidelibus in perpetuum. Cum nos praepositus et fratres praedicti domum nostram aeris alieni pondere premi non minus graviter quam deformiter videremus etiam voracibus sub usuris nec praeter alienationem rerum immobilium possemus remedium qualelibet invenire, consilium et auxilium reverendi patris et domini nostri episcopi memorati decrevimus invocare. Quo consulente necnon opitulante dominus, qui sperantes in se non deserit, nos respexit, quoniam nobilis femina Gertrudis ingenui viri Vlrici de Vrudebere bonae memoriae vidua, quae capellam in honore beatae Mariae genitricis dei^{a)} sitam in curia sua Lipzk dotare perpetualiter destinabat, sexaginta marcas argenti, de quibus dotem volebat emere, nobis dedit tale onus et debitum adiungendo, quod capellam praedictam faciamus officari divinatorum sollempniis diebus singulis per sacerdotem et scolarem tam in matutinis quam missis et vesperis necnon decorari luminaribus tam nocturnis quam diurnis cunctis temporibus in aeternum. Nos attendentes quia non minor est virtus quam quaerere parta tueri dationem talem gratam suscepimus et acceptam, obligantes nos et domum nostram ac omnia bona nostra praesentia pariter et futura super eo, quod praetaxatus modus divinatorum sollempnium et luminarium observetur prout superius est expressum. Nos episcopus, cum nobis mediantibus et ordinantibus peracta sint omnia praelibata, quod aeternaliter permaneant inconvulsa nec oblivionis incommodis, interpretationis sinistrae cavillationibus aut alio quoquo modo valeant laccessiri, cum non dubitetur rem sancti Thomae domui praedictae non minus commode quam utiliter esse gestam, super omnibus praenotatis praesentem paginam conscriptam nostri, praepositi atque capituli praescriptorum sigillorum appensionibus iussimus consignari, quatinus ex hoc inalterabile robur capiat et munimen. Acta sunt haec Lipzk in curia domini episcopi praedicti pontificatus eius anno XIX°. anno gratiae M°.CC°.LXII°. VI°. Idus Februarii, praesentibus et consentientibus omnibus eis quorum nomina sunt subscripta: Hertwicus praepositus, Theodericus prior, Heinricus, Heinricus, Johannes, Theodericus, Heinricus, Heidenricus, Petrus, Christianus presbiteri, Heinricus, Heinricus dyaconi ecclesiae sancti Thomae saepedictae. Huius etiam rei testes sunt Heinricus prior, Johannes, Godescalcus fratres ordinis praedicatorum, Albertus de Warin frater domini episcopi, Boto de Ylebure, Otto de Zûrbec, Heinricus de Gribene, Otto de Nidece, Erinfridus milites et alii quam plures.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Bischofs, des Probstes und des Capitels zu S. Thomas an rothleinenen Fäden.

Vogel Leipz. Chron. S. 124. — Schöttgen u. Kreysig diplomat. Nachl. I. S. 55.

a) Ueber die Lage der Mariencapelle vgl. Bd. I. S. XIV. A. 16.